



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Theophili Raynavdi societatis Iesv Theologi, Proloqvium Primvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)



THEOPHILI
RAYNAVDI
SOCIETATIS IESV
THEOLOGII
PROLOQVIVM PRIMVM.

DE CHRISTO DEO HOMINE, THEOLOGIA
Patrum ad Templorum & Scholarum vsum accommodata.

Inuitamenta ad scriptionem de Christo, et auocamentorum depulsio.



HAEC EST consideratio ad quam aggredimur, quantum ex vna parte scribentis animam atque affectum pellicit, raturum ex altera auocat, & scriptione absterret. Pellicit quidem, cum ob necessitatem summam huius cognitionis, tum etiam ob suauitatem & rapiditatem plusquam mellis, palato cuiusque bene disposito testatissimum, ac denique ob vberissimam vtilitatem. Quibus ex capitulis, hac tractatio in qua necessarium & vtile mixta dulci, videntur, omne tollisse punctum censeretur.

Illic scriptionis de Christo necessitas, suauitas, vtilitas.

1. Et necessitatem quidem, expressit pulchre S. Gregorius 23. moral. cap. 1. verbis illis. [Nullus superne ad opem gratia habuit, nisi qui hanc per cognitionem vngenti accepit. Dignum itaque est ut ipse in eorum vita & lingua resplendat, qui eos ut resplendere merentur, illustrat. Nam cum in tenebris lucerna lumen accenditur, prius lucerna cadet, quam videri cetera efficit, videtur. Vnde necesse est ut si verè intendimus illuminata cernere, studeamus mentis oculos ad ipsum illuminans lumen aperire.] Ex quo inferi S. Gregorius, quanta sit necessitas vestigandi Christum in indagatione accitata in omnibus antiquis Scripturis, siue Prophetis, siue historicis: quod nominatim tradit de Iobi historia; sed vniuersaliter idem significasse Apostolum 1. Corinth. 10. animaduertit.

2. Dulcedinem ac suauitatem tractationis de Christo, bene prosequitur Richardus Victorinus lib. 2. de Emman. cap. 2. 1. eamque S. Gregorius 15. moral. c. 9. exoptatam patat nominibus mellis ac butyri, quibus Christus apud Iobum descriptus est, in ea aduersus hypoeritiam interminatione, *Non videat rimulos fluminis, currentes mellis ac butyri*; hoc est Christum iuxta sancti Theoph. Raynaudii Christum

Pontificis interpretationem. [Mel enim desuper cadit, butyrum verò ex carne est. Summi autem Patris vngentis, cum sit Deus super omnia, homo est factus inter omnia. Quia cum nos dulcedine diuinitatis suae, de mysterio Incarnationis repleuit, melle nos pariter, & butyro satiauit.] Illustrat has Christi cum melle & butyro comparationes Richardus à S. Laurentio lib. 4. de Deip. tractans illud Isaiae 7. *Butyrum & mel comedet.* Quidni igitur sapiat mentis palato probè affecto, qui mel animae est atque butyrum, quae sunt inter res corporeas suauitatis eximia ac exquisitae dulcedinis symbola? [Quid verò mirum (exclamat Guerrius, homil. 2. de Annunc.) si me delectat, quod Beatos spiritus letificat?] Agit de Verbo in carne. Et quamquam Verbi nudè sumpti dulcedo exuperet omnem sensum; tamen S. Anselmus lib. 10. Meditat. in octaua, num. 2. dulcius cognosce Christum in carne Deum, quam Verbum sinu Patris abditum, non dubitauit profiteri, compellans his verbis Christum. [Ite s v bone, quam dulcis es in corde cogitantis de te, & diligentis te! Et certè nescio, quia nec planè comprehendere valeo, vnde hoc est quod longè dulcior es in corde diligentis te, in eo quod caro es, quam in eo quod Verbum: dulcior in eo quod humilis, quam in eo quod sublimis. Siquidem longè dulcius est memoriae diligentis te, videre te ex matre Virgine in tempore natum, quam in splendoribus Sanctorum ante luciferum à Patre genitum, temetipsum exinanivisse, seruique formam accepisse, quam in forma Dei æqualem te Deo esse. Dulcius, te videre coram Iudeis mori in ligno, quam dominari super Angelos in cælo: intueri te inter omnia subiectum, quam super omnia prælatum; hominem humana pertulisse quam diuina Deum gessisse; redemptorem esse pereuntium, quam conditorem esse non existentium.] Hæc ad gustum aliquem dulcedinis hanc tractationem affectantibus, possunt sufficere. Alia dato inferius componens

A

Christum

Christum cum manna, cuius gustus erat velut similitudo cum melle, quod ad huius tractationis suavitatem, bellè aptat Rupertus lib. 1. in Matth. tractans illud, *Vo-*
cabitur nomen eius Emmanuel.

3. Vtilitatem denique tractationis de Christo, aperiant illa S. Ambrosij epistolae ad Irenaeum. [Nos quantum possumus intendamus illo animum, & in illo simus. Illud animo teneamus, quod est pulchrum, decorum, bonum, ut fiat illuminatione eius & fulgore speciosa anima nostra, & mens dilucida. Nam si oculi nostri cum aliqua obducuntur caligine, pascuntur agrorum viriditate; & specie nemoris vel collis herbosi, omnem inaequalitatem egredientis obrutus repellunt, & quadam salubri specie pupillae ipsae atque orbes colorari videntur, quanto magis hic mentis oculus cum illud summum intuetur bonum & in eo versatur, atque eo pascitur, splendet atque emittit, ut fiat illud quod scriptum est: *Tanquam adipe & pinguedine repleatur anima mea.*] Ac ne summum illud bonum tam multiplicis commodi & utilitatis ferax, digne sum à Christo putes, subdit paulo post S. Ambrosius, hoc bonum esse ipsummet Christum. Insigniter planè de summa utilitate tractationis huius mysterij, disserit Guericus Abbas serm. 2. de Annunt. adducendus ad huius Proloquij finem.

Qua abducere à consilio noua de Christo scriptio, videantur.

4. At quantum proposita capita pellicunt Christi disquisitionem, tantum auocant ab ea pleraque alia. Inprimis verò difficultas summa, de qua infra copiosè, Accedit tam multiplex tam multorum de hoc argumento, omnibus reuè Christianis scilicet, sed his praesertim temporibus non simis, luculenta & accurata tractatio, quae dum hac ipsa pridem perfecta tenebras aegre elucantur, prodit multiplex, & exquisitè elaborata. Quid verò siue ad disquisitionis subtilitatem & accuratorem, siue ad sedulitatem in Sanctorum & Doctorum floribus ad hanc rem decerpendis, siue ad ornamenta omnis generis haecenus in huius argumenti tractationem collata, accedere velut cumulus aut superpeditum queat, ut denuò contribuat in hanc rem operae impensa bene collocata, nec frustra effusa, apud æquos aestimatores habeatur. Haec & huiusmodi alia circumspiciens Rupertus lib. 10. de victor. Verbi Dei cap. 1. post propositum masculi Apocalyplici ex muliere partum, hoc est, ut ille interpretatur, temporariam Christi ex Virgine natiuitatem, negat intendendum esse in seruationem Christi, ac disquisitionem mysterij quo benedictum illud totum compactum est; sed sepositis superfluis seruationibus, auctor potius est, laxari habenas laetitiae & exultationi de Christo nobis nato & indulto diuinitus. [Quo se impendet (inquit) quam in partem sermo noster sese aptabit, in demonstrationem aut in narrationem? Si in demonstratione se verterit, si partum illum, si filium vel masculum illum demonstrare voluerit, hoc tale est hodie, ac si meridiano tempore, caelo sereno, Sole clarissimo fulgente, in ascensu sui summo, digitum quis intendat oculos habenti & videnti, dicatque illi: Vide, ecce Sol. Scriptum est enim, *In Sole posuit tabernaculum suum.* Si autem veritas se in narrationem, veremur esse superflui, quoniam noui nihil dicturi sumus; quoniam apud ignotos haec dicta vel scripta deponimus; non ad ignaros, vel enim ignaros ista conferimus. Veritas igitur se tota intentio sermonis, ad iocunditatem; & aliquantulum cum iocunditate nitatur habere dignitatem, quatenus & ipse sermo plena fide, pleno fundatur ore, cum gratia humilitatis necessitate, ut quisquis illa legere dignabitur, delectatur atque iocundetur propter laudem talis filij, propter honorem tanti masculi, & propter gloriam Dei Patris, & honorem Spiritus sancti.

Atque de quo beata illa mulier concepit hunc & peperit. Ista sermonis iocunditas risum habet illum, quem nomine suo Isaac significauit, beate senectutis, & emeritae fidei filius, qui typus filij vel masculi huius exitij: quae decrepita mater, scilicet antiqua Ecclesia, pariens per verum Mariæ Virginis, veraciter dicere potest, seperque dicit, ac dicit: *Resum mihi feci Deus*, quia talis filius, verè matri suae risus est æternus. Ad risum itaque siue ad gaudium & exultationem de tanto bono quod in genus nostrum contulit diuina benignitas, non ad boni illius disquisitionem, Rupertus exemplo virgeri ac impelli videmur.

Dispellantur. Ac primum quod de argumenti huius inaccessa maiestate, & fructuosiore circa illud voluntatis quæ intellectus negotiatione, est propositum.

5. Nihilominus qui scribendi cogitationem iniecit, audendum esse nec cedendum confirmat. Nam difficultatem quidem huius argumenti, & maiestatem eius, humani ingenij viribus superiorè supra omnem modum, nemo non videt cum omnibus argumentis quibus diuina perfectiones complicantur, communem esse; neque tamen à diuinæ essentiae, vel eius attributorum aut angustissima Trinitatis disquisitione toties etiam proximè superioribus annis tentata, absteriti sunt posteriores, hodiè absterrentur: sed deficere in Dei consideratione, necessarium; id verò agnoscere, & palam celebrare, gloriosum putant, usurpantes & verissimum profitentes illud S. Gregorij 9. moral. cap. 9. & 10. de diuinis operibus vniversè prolatum. [Opera summe magnitudinis, quando explicet lingua carnis; Vnde & aptè mox S. Iob hac eadem opera melius deficiendo comprehendit, dicens, *Qui facit magna, & inscrutabilia, & mirabilia, quorum non est numerus.* Diuinæ fortitudinis facta, tunc verius explemus, cum hac nos non posse explere cognoscimus: tunc faciendū loquimur, cum ab his obstupescendo reticemus. Ad narranda quippe Dei opera habet defectus noster, quam sufficienter exerat linguam suam, ut quæ comprehendere idoneè non valet, hac idoneè mutus laudet: unde benè per Psalmistam dicitur: *Laudate eum in potentibus eius, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius;* laudat qui se succumbere in eius laudis expletione considerat. Dicit ergo: *Qui facit magna & inscrutabilia & mirabilia quorum non est numerus;* videlicet magna virtute, inscrutabilia ratione, innumerabilia multiplicitate. Diuina ergo opera quæ explere dicendo non potuit, faciendū deficiendo definiuit. Hoc de omnibus Dei operibus verè, sed praecipuo iure de primario & sublimissimo Dei opere dictum esto. Inter hoc igitur primum Dei opificium considerandum, deficiamus; non quod prorsus de eo silere inducamus in animum, sed quod à tam illustri argumento vnici, siquæ in sobria eius seruatione deficere, gloriosum ducamus.

Hæc cum dicimus, nequaquam prohibemus exultare & omnibus incedere laetitias, ex tanta Dei in genus nostrum benignitate, quo veri studium omne humanum malebat Rupertus. Quinimò eo solidior & vberior existeret piorum de tanto bono affectum leges, quo disquisitio & cognitio diligentior praeuerit. Is quippe est voluntatis genius, ut pro laeis affulgētis copia, calorem communem concipiat. Et malè sand alioqui ageretur cum iis qui in diuina prudenter ac temperatè scrutanda incumbunt, si auctiorem notitiæ splendorem, decessio piorum ignium ac Sanctorum affectuum restinctio, consequeretur. Quam porò diligens, accuratus, subtilis, in huius mysterij seruatione conuenienti, S. Cyrillus; Non dubitauit sanè a nasafius Sinaita c. 7. id quod cum appellare omnium Patrum signaculum, eo quod nulli Sanctorum Patrum in hoc mysterio

pro excutiendo secundum fuerit, plerisque longo post
se interuallo reliquit. Idem tamen quantis circa tan-
tum mysterium, piorum affectuum leatebris abundet
cum ex aliis prope omnibus eius lucubrationibus, tum
de nominatim ex insigni opere graphyrorum, & altero de
nominatim in spiritu & veritate, licet agnoscere. Quare
adnotatione in spiritu, celestis laticia, & affe-
ctus nobis hoc mysterium, sed ut hoc melius ac faci-
lius piorum ignitabulum, sed ut hoc melius ac faci-
lius piorum, sit inus circa illud scrutationi & disquisi-
tioni, sobrie quidem, sed non indiligenti locus.

*Item quid dictum est, innumeros iam versasse
eandem molam.*

6. Nec quæ Rupertum considerandi fastidium inge-
merat, huius mater per innumeros anteriores pro-
phetas, idonem reuera est à noua scriptione auoca-
mentum, nisi æque deserta velimus sacra argumenta
omnia. Nam quid de quocumque tandem Christiano
mysterio, imò & de alio prope omni argumento dici
nunc possit, quod non dictum fuerit prius? De puli ple-
ne hoc nonnullorum de æui nostri Scriptoribus fasti-
dium, in Opere de iusta confusione laborum, prolata
Augustino, Fulgentio, Anastasio, Anselmo, Seneca.
Nunc ipsum Rupertum de huius auocamenti inani-
tate pronuntiantem, adduco ex prologo in Apocaly-
ptum, ubi excusat quod nouum commentarium in li-
brum tot scriptorum vigiliis subactum, molius esset.
[Sanctarum (inquit) Scripturarum] spaciosus ager, omni-
bus Christi confessoribus communis est, & tractandi
illis nulli iore negari potest licentia, dummodo salua
fide, quod sentit, dicat, aut scribat. Quis namque recte
indignetur, eò quod in eadem possessione post vnum
aut duos puteos quos foderunt Patres precedentes, &
plures proprio fodiant labore filij succedentes? Deni-
que Isaac & alios puteos fodit præter illos quos fode-
rant serui patris sui Abraham, quos illo mortuo olim
obtraxerant Philistin. Nam postquam & illos rur-
sum fodit, appellauitque eos eisdem nominibus qui-
bus antè pater vocauerat, sequitur Scriptura, & dicit:
Foderunt in ioribus, & repererunt aquam vnam Item fode-
runt & alium. Ac deinceps: *Profectus in ioribus fodit alium pu-
teum.* Itaque iuxta hanc regulam, nobis quoque con-
cedant, post illos puteos quos foderunt, id est, post illos
tractatus quos tractauerunt patres & priores nostri, &
alios fodere puteos proprii vomere ingenij, dummo-
do viuam & nos aquam reperire possimus, quæ nulli
noceat bibenti, nulli scandalum vel errorem faciat
legenti. S. Bernardus in calce homiliarum super *Missus*
est modestissime simul ac optimè, nouitatem lucubra-
tionis de materia toties pertractata, excusat. Iungamus
his PP. Richardum tract. 1. de tabernac. foderis in pro-
logo, cuius hæc ex parte est oratio. [Qui assidue pro-
ducit nouos fructus ad recreationem hominis exte-
rioris, nunquam credendus est nullus de extero scien-
tiæ profectus impetiri, ad innouandos sensus homi-
nis interioris. Vbi ergo est illud quæsitum, pertransibit plu-
rimis & abundabit scientia? Nemo itaque mihi obsecro
indigne, si de messe Domini remanentes spicas, &
quæ in floribus manus effigere poterunt collegero.]
Proficetur ibidem Richardus, hæc à se dici aduersus
illos qui ad qualemque nouus de argumento iam dif-
fuso scriptiones nascantur, nec nisi antiquorum labo-
ribus delectantur. Ipse è contrario, ut abiciendos ne-
ge: antecedentium ingeniorum partem, sic posteriori-
bus quoque, contendit saluam esse oportere laudem
suam.

7. Hæc si de aliis sacris argumentis verè pruden-
terque affirmantur, quantò iustius de mysterio ad quod
egredimur sunt pronuntianda: cum & dignitate am-
Thomp. Raynandi Christi.


plissimum, & difficultate sit maximum; ut propterea
nullus circa illud labor vanus, nulla non diligentia su-
perflua videri merito possit: præsertim cum constiterit
nullam anteriorem tractationem exhaustisse argumenti
vbertatem. De quo non potest esse ambiguum. Ut re-
cte sanè in quacunque de hoc mysterio scriptionem
cadant illa à S. Chrysostomo prolata de sua quadam
disputatione de Christo, & eius regno. [Omnes dicen-
di nervos intendimus, & his qui auscultant, iusta suf-
ficiensque obigit enarratio, iusta, inquam, non si digi-
tas rei prædicandæ, sed si meæ prædicantis vires (spe-
ctentur). Neque enim vel in cælis vel in terris aliquid
tale quod laudatissimam Vnigeniti dignitatem meritis
laudibus efferre potest. Multa sanè de Domini theo-
phania prædixerunt Prophetæ, multa decreuit lex,
multa prædicauerunt Apostoli, multa promulgarunt
Euangelistæ, & adhuc dignitatem illam, ne vllus qui-
dem assequi potuit. Quod si tanta Spiritus sancti fla-
mina perpetuis limpidisque amnibus manantia, omnes
humanas vires insuperant, & nihil quod par sit, ac
dignum virtute diuina eructarunt; vbi tam tenuissima
sermonis gutta comparebit, quum talis ac tanta ser-
monis eminentia proponitur? Qui posset mortalis lin-
gua immortalis naturam dignis præconiis celebrare?
Profectò non capit humana ratio, ut sermo ille per
quem mundus est factus, quantum addeceret, prædica-
tur. Quid igitur? Prædicamus quantum possumus,
quandoquidem non possumus quantum debemus.
Quippe in aliis quidem certaminibus laureas referunt
qui victores, redeunt in disputationibus de rebus di-
uinis, solis illis debetur corona, qui se rei magnitudine
victos ingenuè fateantur. Itaque vincamur dicentes, ne
condemnemur silentes.]

Vnde fastidium repetita tractationis, leuandum.

8. Et non est quidem apud iustos æstimatores pro-
positorum huius tractationis decorum, fastidio Lecto-
rum timendum ab eius inculcatione, aut prosecutione
diffusiore. Quinimò Richardus Victorinus l. 2. de Em-
man. cap. 20. Hugonem cum quo colloquitur, inducit
valde improbantem quod Richardus præmisserat, in-
tere se tractationis de Christo fastidium. E contrario
enim reponit Hugo. [O quàm frustra timemus circa
illam materiam studiorum nostrorum moras impen-
dere, quam semper oporteret, si fieri posset, præ oculis
habere, & in eius admirationem ingi occupatione ani-
mos suspendere.] Tamen ut nullo magis fastidio peti-
culum amoliar, simulque ut venerabilior sit disputatio
Patrum in hanc rem præclare dicta, veluti gemmas
studiosè legam inferamque, securus prudens consilium
quod his verbis suggerit Petrus Cellensis lib. 1. de ta-
bernac. in fine expositionis mysticæ. [Hæc summam
de dictis Sanctorum recolligo, ut si opusculum nostrum
propter se displiceat, vel propter Sanctorum sanctas re-
liquias non viquequaque abiciatur. Etsi enim ligneam
pixidem, propter se, non suscipio: tamen, quia continet
Sanctorum corpora & ossa, debita veneratione illam
excipiens, summis digitis lotisque manibus tenens li-
gnum, aliter quàm lignum honoro.] Eadem sancto Ber-
nardo mens fuit, quod testantur illa eius verba hom. 3.
super *Missus est*, initio. [Libenter vbi mihi congruere
video, verba Sanctorum assumo, quo vel ex vasculo-
rum pulchritudine gratiora fiant, quæcumque in eis
Lectori apposuerim.] Perbellè huc quoque cadunt
quæ sui Hexæmeri initio disputat Gregorius Nyssen-
nus, causam reddens cur S. Basil. sententiis ac verbis
suam de eodem argumento commentationem esset
exornaturus. Anastasius denique in vestibulo Anago-
gicarum contemplationum in Hexæmerom, legulam

se apem, & fornicam, sanctorum Patrum & senla, & verba sublegentem, in eo opere futurum non modò non dissimulat, sed etiam prædicat. Nostrium denique esto signaculum quo Gillebertus in Alterc. Synag. & Eccles. c. 13. obfignat. [De messe maiorum spicas colligimus, qui de horreo nostro nihil habemus.] Idque ad fastidij curationem, plurimum conferre, tradit idem autor ibidem c. 18. *sub finem*.

Commodabit etiam lenando fastidio non parum, quod non vni Scholasticæ spinositate insistere in hac tractatione est animus, ut fere hæcenus factum ab iis qui hoc argumentum versarunt: sed consilium est, alia præterea quæcumque huius materiæ ornamenta consecrari: & nominatim vsum doctrinæ qui hinc ad mores extat vberissimus atque lectissimus, ut sapienter tradidit Guericus serm. 2. de Annunc. his præter cetera. [Nescio si vlla esse possit efficacior ac suavior morum ædificatio, quàm huius mysterij, id est, verbi Incarnati fidelis & pia consideratio. Quid enim ita hominem excitare potest ad amorē Dei, quàm præueniens amor Dei tam vehemens ad hominem, ut homo propter hominem velit fieri? Quid autem ita nutrit amorem proximi, quàm similitudo & natura proximi in humanitate Dei? Nam humilitatis exemplum, nec cogitari posse maius aliquod existimo, quàm exinanitionem Dei in formam serui, & seruitutem plusquàm serui. Castitatem porro quid æquè commendat, sicut quod ipsa castitas Saluatorem germinat? Aut fidei virtutem ac meritum, quid enidentius ostendit, quàm quod virgo Deum fide concepit fide omnia sibi promissa diuinitus impleri promeruit? *Bona* (inquit) *que credidit, quoniam perficiuntur qua dicta sunt ei à Domino*. Et ut plenius noueris conceptum Virginis non solum esse mysticum, sed & morale; quod sacramentum est ad redemptionem, exemplum quoque tibi est ad imitationem, ut manifestè in te euacues gratiam sacramenti, si non imiteris virtutem exempli.]



PROLOQVIVM II.

Præsuppositio fundamentaria de Christi existentia.

Q Vandoquidem vniuersus labor noster in hoc Opere ad Christum dirigitur, præsupponendum necessariò hic nobis est fundamentum cui tota consequens substructio inædificetur solidè; alioqui vacillabunt omnio, nisi Christum, hominem simul ac Deum, aliquid esse verè existens, & non re merè imaginariam, statuamus. Hanc voco præsuppositionem fundamentariam, quia probatio existentie Christi, non potest spectare ad tractationem de Christo, quæ Christi existentia planè nititur. Sicut scientiæ naturæ nequeunt sibi fundamentum primum iacere, & obiectum suum stabilire; sed illud supponunt, atque præmientunt. Et quamvis tractator supremæ scientiæ, si minus qua tali scientia præditus, at saltem qua hominè ratione & discursu pollens, suum sibi subiectum stabilire cogitur contra negantes, ut in Metaphysica & Naturali Theologia est ostensum, ideoque Theologus qui nulli alteri disciplinæ subest, possit ac debeat, prædicto modo partialis huius Theologiæ obiectum aduersus negantes firmare: Tamen quod Christi existentia nunc sit explorata, non placet in ea astruenda multam operam ponere. Reclamant enim dumtaxat, vel recutiit à pellæ qui Christum venisse pertinaciter dissentent, vel Ethnici quibus diuina

œconomia risus & stultitia videtur. Vtrique autem turpissimè hallucinantur, vixque confutatione egent.

2. Ac Iudeorum quidem perniciosa, tanta vi ac fortitudine ab egregiis plerisque tractatoribus contusa est, ut miserationem potius aut indignationem moueat, quàm mouam exagitationem depolcat. Ipsum certè vetus instrumentum, frequentia loca subministrat quibus Christi veri Dei & hominis existentia, tali tempore quale Christiani assignamus, manifestè euincitur. Eiusmodi est, locus ex cap. 49. Genes. quo asseritur, regnum Iudeorum stabilitis aliquando toti Israël certis sedibus mox inchoandum, non defecturum de domo Iuda, nisi sub Messia Dei simul ac hominis tempora. At defecisse ante annos mille sexcentos, hoc est quo tempore Christum venisse affirmamus Christiani, egregiè demonstrat Cyrillus Hierosol. catech. 12. *sub mediū*. Nam quamvis iam à temporibus Iechoniz vsum esset defecisse sceptum in domo Iuda, tamen reuera in ea perstitit: partim in Sedecia, partim mox in Zorobabele eiusque successoribus de Tribu Iuda, vsque ad Assamonzos, penes quos fuit summa rerum vsque ad Herodem. Erant verò Assamonzæ ex tribu Iuda per lineam femininam, quod satis est ad veritatem prophetiæ à Iacobo editæ. Nam etiam nunc vetus prosapia Regum Hispanorum, dici verè potest dominari Hispaniæ per Austriacos, qui per lineam dumtaxat femininam ab illis ducunt originem. Perinde autem erit, si dicas cum Andrea Cydonio lib. 1. pro Baronio c. 10. Assamonzos non nisi interreges fuisse: quia ea conditione acceperant Ducatum, ut illum Regiæ stirpi restituerent, cum primum constitisset, cui ex ea stirpe vellet Deus restituere: qua conditione non accepit regnum Herodes, quem Romani absolutè Regem dixerunt: ideoque concidit tunc regnum Iuda, defecitque dux de femore eius: Ac proinde fuit id tempus aduentus Domini, iuxta Jacobi vaticinium.

Alius locus sanè illustrissimus, cuius etiam tunc veritas innouit, habetur Danielis 9. vbi Propheeta prænunciat, expletis septuaginta hebdomadibus annorum, venturum Messiam. Versarunt diligenter eum locum ad hanc veritatem confirmandam, Tertullianus lib. contra Iudeos cap. 8. Chrysostomus orat. 2. contra Iudeos, Basilus Seleuciæ in demonstratione aduersus eosdem; breuiter sed optimè Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 89. Patrata item tunc sunt mira illa opera curationum, quæ adueniente Messia fore patrandæ, toties prænunciabant Propheeta, quod rectè expendit S. Cyprianus lib. de Idolo vanit. num. 72. Sub idem tempus contigit antiqui templi destructio, vnaque sacrificiorum carnalium quæ extra templum fieri vetabantur, euersio: vnde optimè in hanc rem argumentatur S. Chrysostomus hom. 7. in 2. Cor. ad illud, *Uque in hodiernam diem*, & benè etiam Nyssenius in orat. magna catechet. cap. 18. Contigit item prædicta in Scripturis malorum in Hebræos ob vim Christo illatam eluio, de qua plenissimè Mendoca 1. Reg. 2. annot. 24.

His ergo, variisque præterea aliis argumentis è veteri instrumento petitis, redarguntur manifestæ cecitatis Iudei; qui Christum venisse nolunt admittere; & cum re ipsa venit, oculos ad tantum splendorem occluserunt, diligentes magis tenebras quàm lucem. Causas velaminis super Iudeorum oculos tunc oppassi, perpulchrè profert S. Cyprianus lib. de vanit. Idolo. *sub finem*. In hanc rem vniuersam, videndi qui diligenter ac ex instituto in eam incubuerunt, Petrus Alphonsus, Hieronymus à S. Fide, Iacobus à Valentia, Paulus Borgenis, Samuel Marrochianus, omnes è Iudeis Christiani. Itemque ex aliis, Clemens Rom. 5. constit. c. 19. Tertullianus lib. contra Iudeos. S. Cyprianus in opere testimoniorum aduersus eosdem. Iustinus in colloquio cum Tryphone. Eusebius lib. 2. de demonstrat. Leon

Leontius lib. de festis actio. 2. Iulianus Pomerius libris
tribus contra Iudeos, & contra eisdem Anathasius Ab-
bas qui habetur tom. 8. bibl. Colon. & ibid. tom. 12.
Andronicus Constantinopolitanus. Petrus Damiani
Opuscula. 2. Petrus Cluniac. tract. contra inueter. Iudæo-
rum duritiam, Ebdardus in opere contra Valentes c.
27. Arnobius de qq. Armeno. lib. 1. 2. 3. & 4. Finis in
sigello. Porcherus in victoria Hebræorum, Galatinus
in opere de arcanis, Bonerius in demonstrationibus re-
rum fidei, alique oblique numero.

3. Tam vero Ethnicos existentiam Christi infician-
tes, tamen non possunt sicut Iudeos directè virgere
ex Scripturis, quas non agnoscunt iuinas, idque S. Cy-
prino Laetantius haud abs re vitio vertit l. 5. in lit-
ter. cap. 4. in dicitur tamen eos quoque ex Scripturis virge-
re possumus, quatenus in eis pleraque de Messia Deo
fuit & homine sunt propheta, quæ omnia conspi-
citur impleri. Prophetas enim de Christo pleraque
prænuunciale de fide est ex Rom. 1. & Luca 24. ut fer-
re sunt non possit error Theodoro Moplaesteno ad-
scriptor, negans illas esse de Christo prophetas. Quan-
quam Facundus lib. 3. pro tribus capit. cap. 6. absur-
dissimo illo errore liberat Theodorum nititur: Ve-
rè nec ne frustra. Nam in S. Synodo actio. 4. loca quæ-
dam ex ipso Theodoro proferuntur, quæ agrè mol-
liantur. Ibidemque actio. 5. adducitur testimonium ex
Helychij Hierosolymitani Ecclesiastica historia, quo
ipsidum Theodoro tribuitur. Sed de vero sensu erroris
Theodoro, pluribus Franc. Turrianus in defensione fe-
cund. Conf. Clem. ad cap. 5. & Pineda lib. 5. de Salom.
c. 19. ac nos infra, agentes de Christo Amen. Præter cæ-
tera autem de Christo prophetata, impleri videntur
Ethnici per Christum euerfionem, & conuersio-
nem infidelium tanto antè prænuunciatam, quod rectè
virget. Tertull. lib. 3. contra Marcion. cap. 20. addens
cap. 21. argumentum ex Iudeorum item exitio, tanto
ante prædicto, & re ipsa impleto ob iniuriam Christo
irrogatam. Nec possunt Ethnici causari. Scripturas illas
esse à nobis confictas. Iudei siquidem iurati hostes no-
stris, qui nihil in fidei Christianæ gratiâ dissimularent,
locupletes testes sunt, veritatis talium Scripturarum
tæ antè fecalis apud ipsum diligentissimè asseruatam.
Ostenduntque hac in parte SS. Patres, singularem
Dei providentiam, quæ ad hunc finem nō prorsus ex-
cidit Iudeos, sed seruatas eorum reliquias per vniuer-
sam orbem dispersit, ut essent librarij & caplarij no-
stris. Ita Iulianus in paræ. ad Genes. sub medijs, Chry-
solom. psal. 8. & 44. ac optimè hom. de cruce quam de-
scripsit Gregorius tom. 2. de Cruce (pag. 281.) August.
serm. 32. de tempo. & serm. 67. de diuers. & lib. 1. de
consen. Euang. c. 14. & lib. 18. Cuius. cap. 46. & ep. 59.
ad questionem secundam, ac sæpè alibi. Igitur quan-
doquidem tam multa de Christo Deo & homine ad
certum tempus venturo sunt prophetata, eaque signa
impleta deprehendimus; fatendum est venisse Chri-
stum. Virget optimè hoc aduersus Ethnicos argumen-
tum, Iulianus Apolog. 2. submedijs, Eucherius hom. 2.
de Pasche. iouis, & illud omnibus alijs argumentis ante-
ponens Cyrillus Hierosolim. catech. 12.

4. Ago porò de prophetis indubitato diuinis, &
concentis intra sacros codices. Neque enim placet vir-
gere prophetas quædam Christi venturi prænuuncia-
tiones à nonnullis prolatas. Eiusmodi est illa quam re-
citat S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. Item alia quam nar-
rat Rodericus Smeius parte 3. histor. Hispan. scribens
Inzium Toleti anno 1231. intra saxum solidum quod
èssindere aggressus erat, reperisse ligneum lib. u, quo
exarati habebantur, tali tempore quale nos Christiani
prophetauer, Christum ex Maria Virgine nasciturum, &
pro mundi salute passurum; quam fuisse Iudæo accel-
leris ad Christianissimum occasionem, prodit Roderi-
cus. Recitat illa ipsa Martinus Polonus in Chronico c.

Theoph. Raynaud. Christus

187. Similiterque sui Ordinis Hispanis Patribus, cum
eo anno ad Generale Capitulum venissent narrata, asse-
rit Dorlandus in Chronico Cartusien. l. 4. c. 16. Affi-
nis denique est narratio alia, quam Metaphrastes in vi-
ta S. Procopij Martyris exhibet de priscis Argonautis
qui post Cyzicum Iasone duce captum, edificarunt
templum insigne, de cuius dedicatione sciscitatio Apol-
linem, accipere responsum quo docebantur, huiusmo-
di templum consecrari oportere [Virgini simplici no-
minis Mariæ, in qua Verbum Dei ab interitu alienum,
conciendum esset.] Proditur posteros Argonautarum
tanti fecisse hoc oraculum, ut passim marmoribus inci-
dis illud ad fores insculperent. His ut fidem prorsus
non abrogo, ita nec ea virgere in rem præsentem, est
animus, cum habeamus firmiorem & indubitatum
propheticum sermonem. Multò plus quàm prædictis
narrationibus, tribuerim argumento ducto ex Sibylla-
rum de Christo prænuunciationibus, quod constat pri-
mis Christianis aduersus Ethnicos adeo fuisse frequēs,
ut inde ab Ethnicis dicerentur Sibyllistæ. Et quanquam
fuerintne Sibyllæ, prophetides Dei, an Diaboli, anceps
causa est, de qua plenè actum in Natur. Theol. distinet.
5. a num. 294. Tamen argumenta pro Christianis my-
steriis ex eorum prænuunciationibus perita visa semper
sunt Christianis valde commoda, aduersus Ethnicos
qui Sibyllis tribuebant plurimum. Et nominatim Con-
stantinus Magnus orat. ad SS. cœtum, pro corporatio-
ne Verbi Dei, eiusque in mundum aduentu, egregiè
virget Ethnicos, ex Sibyllarum tam luculentis tamque
expressis de Christo pronuntiatis, quorum pleraque
legere est apud Bellarminum lib. 1. de Christo cap. 11.
Nihilominus quod præ prophetis Canonicis, prænu-
nciationes Sibyllarum non sint tanti, illis nunc virgens
non inliti, sed eas tantum prophetas ad firmendam
Christi existentiam adhibui, quas indubitato diuinis
agnoscimus.

5. Argumento sanè valido, ex testimoniis Prophe-
tarum de Christo, adiungi potest probatio ex multipli-
ci testimonio, quod datum Christo esse obleruat Pe-
trus Damiani serm. 1. verbis illis. Immobile profecto,
& immutabile est Christi mysterium, quia multiplex
habuit testimonium. Habuit enim testimonium homi-
num, testimonium Angelorū, testimonium mulierum,
testimonium viroꝝ, testimonium senum, testimonium
puerulorum, testimonium terrenorum, testimonium
cælorum, testimonium Gentilium, testimonium Iudæo-
rum, testimonium antiquorum, testimonium moder-
norum, testimonium lucis, testimonium tenebrarum
testimonium legis, testimonium Prophetarum, testi-
monium Regum, testimonium turbarum, testimonium
viroꝝ, testimonium mortuorum, testimonium bru-
torum, testimonium Solis, testimonium Elementorū.]
Prosequitur sigillatim eo loco Damiani, omnia prædi-
cta testimonia Christo axhibita, proferens eorū exem-
platandemque concludit, eueri inde omnes veritatis
hostes, & omnem linguam vel inuitam adigi ut confi-
teatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei
Patris.

Huc denique spectare possunt omnia illa argumen-
ta, quibus euident Christianorum mysteriorum credi-
bilitas suaderi solet. Omnia enim per se primò cadunt
in Christi existentia. Persecutus est ea quàm diligen-
ter Valentia in Analysi fidei parte 1. & breuiter sed lu-
culenter 2. disp. 1. q. 1. p. 4. §. 3. possuntque reduci ad
tria capita: nempe 1. ad ea quæ se tenent ex parte do-
ctrinæ reuelatæ. 2. ad ea quæ se tenent ex parte Docto-
rum vel professorum eius. Tertio denique ad ea quæ
sunt ex parte Dei, aliquo sibi proprio eff. ctu, aut testi-
monio, obfignatis istiusmodi fidem. Verum in re om-
nibus mysteriis nostris cōmuni, non est hærendū hoc
loco, Peculiarem verò quoad hoc mysterium, nec mi-
nùs prolixam quàm planè insignem & omnibus elo-
quentia

quentiæ nemis firmata in disputationem illius generis, suppediabit S. Chrysostomus libro cui titulum fecit, *Demonstratio quod Christus sit Deus*, ubi non Scripturæ testimoniis, sed argumentis quibus Ethnici quoque vrgentur, existentiam Christi confirmat, discretissime ac fortissime. Videtis insuper D. Augustinum cum Volusiano Ethnico agentem, epist. 2. *sub finem*, & S. Anastasium lib. de Incarnat. Verbi & eius corporali ad nos aduentu; rursusque ex S. Antonij persona cap. 64. vitæ eius; Abucaram opuscul. 2. 1. Lactantium 4. instit. per multa capita; & Gennadium Constantianopolitanum in respons. ad qq. Salrati à cap. 1. 4.

6. Existere itaque Christum, & existentia potitum à tempore quod signauimus, ratum ac fixum esto; ac proinde fortius stilienda, siue contra Iudæos, siue contra Ethnicos, existentia Christi veritate, ne simus ultra solliciti, sed potius ex Iudæorum & Ethnicorum infidelitate, legamus fructum suspiciendi diuinam bonitatem, in quam aptè hac in parte cadat illud de quodam à D. Augustino pronunciatum serm. 50. de diuersis. [Beatus qui tantum bonum fecit, vt non crederetur. Tantum inquam bonum per Verbi sui incarnationem nobis contulit Deus, vt infidelibus prædictis; incredibile sit visum. Scitè S. Chrysostomus hom. 4. in 1. ad Timoth. *initio*.] Adeo magna sunt beneficia Dei, atque in tantum humanam omnem expectationem ac spem transcendunt, vt ea sapius vix credantur. Quæ enim nunquam humanus animus aut cogitare, aut sperare potuit, ea nobis cuncta largitus est: vt fermè Apostoli plurimum laborauerint, vt nobis persuaderent, credere dona à Deo nobis indulta. Quemadmodum enim in excellentibus quibusque donis hoc patimur, vt dicamus; putatne hoc somnium est? Propterea quod non credamus, ita & in diuinis profectò muneribus. Sed in hoc de quo agimus, omnium maximè. Pulchrè item Theodoretus ad finem libri sexti contra Græcos, alloquens Ethnicos. [Tanto vltus est Deus noster lenitatis excessu, vt incredibile hoc & vobis & vestris similibus factu obiciatur, vnigenitum videlicet Dei Filium qui est ante sæcula Deus verbum, qui que opifex est rerum omnium, humanitate nostra assumpta hominem factum esse, nostramque hoc pacto salutem peregrisse. Atqui eos Medicos maximè laudare soleatis, non qui vos quidem suis ministris curados ægros committunt, sed qui pallium deponunt, interulamque

succincti, suis ipsi manibus ferrum accipiunt, vltusque si sit opus, incidunt, neque fortorem vltoris ausantur, imò autè profluentem saniem excipiunt; spongiæque inpergant, & vnguenta compingunt, aliaque temedia multa conficiunt, quæ adhiberi medicinæ lex iubet. Neque verò illos etiam Reges admirari, laudibusque ornare soliti estis. qui regibus in thalamis mollior enutriti, omni genere deliciarum perfrui solent, sed quibus graue non est, pro subditis hominibus, caput periculis obiectare, qui que armis obiecti, in prima acie cum hoste fortiter pugnant.] Quare est quod æquè Dei nostri erga nos dignationem ac pietatem suspiciamus, ac nostram derelictam superbiam & ingrati tudinem, quæ per bonum operata malum, sumpsit ex magnitudine boni diuini, occasionem incredulitatis, in qua diuina prouidentia, inflatos ac typho suo turgentis seculi sapientes & fortes tetra dimisit, vt confunderet fortia aduersaria veritati tanti mysterij, quod celauit magnos detexit parulis, inde merito valde excitandis ad confitendum Domino, & tanta cum dignationi, tum sapientiæ, sacrificandam de fermento nostro laudem.

7. Vnde ego quoque. (vt enim S. Paulini verbis epist. 21.) minimus omnium minimorum Domini, exigentumque tenuissimus, & infantium infantissimus, audeo in vocem laudis erumpere; gratias agens Domino altissimo, quoniam mysterium pietatis excellens, quod in thesauris sapientiæ suæ habebat repositum, parulis suis promiserit, & sapientibus mundi absconderit, ne gloriaretur hic mundus in suorum vanitate sapientum, per quam offusa sibi caliginè non agnouerat sapientiam Dei. Pax autem nostra Iesus, qui venit vt vtraque vnum faceret, & omnia æqualitate componeret, destruxit fortia, & elegit infirma: spreuit sapientia, & assumpsit stulta, vt fieret æqualitas, nemine sibi quidquæ proprium vindicante. cum omnem non nisi diuino munere salatis ac sapientiæ compotem, necesse esset in Domino gloriari. Hunc mihi, hunc Lectori sensum apprecatus, ad rem aggredior. [Adsit tantum disputationi ac sermoni de se habito, ipsa veritas, & pietate illa qua Deus ad homines venire dignatus est humanis erroribus opituletur, qui ad hoc se vel maximè in terris, atque in homine nasci voluit, vt salitati amplius locus esse non posset.] Votum est Cassiani lib. 1. de Incarn. c. 6. quod meum esse, medullitè volo.